

cum praesertim recordarer, eadem alios quoque usos esse via & methodo. In unaquaque vita exponenda, quantum fieri in praesentia potuit, delectum adhibui, non imitatus vulgarem τῶν βιογράφων consuetudinem, quibus nimis arridet micras ex mensis eruditorum colligere, & communissima quaeque de iis observare. Interim ea negligere religio mihi fuit, quae lectu nec injucunda, & historiae literariae studioso profutura viderentur. Ne quidem illos omittendos duxi, quos, nulla forsan aut exigua ceteroquin eruditione conspicuos, in historia sacra, ob motus quondam in coetu divino excitatos, solerter annotandos alii judicarunt. Porro dum illos duntaxat enumerare volui, qui scriptis & ingenii monumentis domi forisque inclaruerunt, ceteros eruditionis laude nequaquam defraudatos volo. Non enim ignoro, multos, quorum scripta, si quae exstant, mihi videre non contigit, bene de re sacra & literaria meritos esse. Exempli saltem causa nomino CONSTANTINVM FIDLERVM, qui Dantisci nobili loco natus A. 1579. d. 6. Martii, Superintendentis spartam ad aedem D. Mariae Rostochii sustinuit, & ibidem obiit A. 1644. d. 20. Octobris, cum annos aetatis exegisset 65, & menses 8. De quo legatur programma funebre, quo D. Joan. Quistorpius obitum nostri Fidleri Civibus Academiae Rostochiensis indicavit. Insertum illud est D. Georgii Henr. Goetzii Elog. Theol. Germ. p. 182: item ADRIANVM PAVLI, natum Dantisci A. 1548, Pastorem Ecclesiae Petro - Paulinae Reformatae in patria, A. 1611, d. 30, Martii, aet. 63, defunctum, de quo legatur Regenvolscius in Systemate Hist. Eccles. Slavonicae, p. 374. Freheri Theatr. Vir. Erud. Clar. p. 360, quibus addatur Melch. Adami in Vitis Theol. Germ. p. 384, b. edit. Francof. ad Moen.